

26. **Anno 1859, prodit opus cui titulus : “ Recueil d'ordonnances synodales et épiscopales du diocèse de Québec.”** Referuntur dispositiones synodales quatuor synodorum diœcesanarum Quebecensium et duorum conciliorum provincialium. Serius typis fuit mandatum opus : “ *Discipline du diocèse de Québec,*” quod novas refert et antiquas renovat dispositiones. Tandem a quibusdam annis invaluit laudabilis consuetudo omnes litteras episcopales ejuscumque diœcesis in volumina colligere et publicare : hæ collectiones sunt fontes tum juris particularis, tum historiæ.

27. **Paucae sunt constitutiones spectrales,** seu decreta S. Sedis, quæ aliquam regionem particularem respiciunt. In collectanea S. C. de Propaganda Fide, inter documenta quæ vim legis obtinent in locis Missionum, notantur : Instructio S. C. circa titulum ordinationis, data anno 1877, instructio ejusdem Congregationis circa dispensationes matrimoniales, data anno 1877, instructio ejusdem congregationis circa suspensiones *ex informata conscientia*. Plura sunt alia documenta quæ in decursu prælectionum memorabimus suo loco.

28. **Episcopi Canadenses amplissima facultates receperunt a Sancta Sede,** unde possent providere suis Ecclesiis ; has recenset et explicat auctor Putzer, in opere : “ *Commentarium in facultates apostolicas episcopis per modum formularum concedi solitas.*” “ Cum a Sancta sede, ait Benedictus XIV ad Vicarios Apostolicos Angliæ, animadversum sit plurima sæpe contingere in regionibus longe dissitis, quibus, ut consulatur, peculiare dispensationes et privilegia quandoque opportuna, quandoque ad animarum regimen necessaria requiruntur, ad quæ obtinenda difficile est Romam confugere, eadem Sancta Sedes in more habuit, habetque in præsentem, episcopis in remotioribus provinciis commorantibus, quasdam facultates impertiri, quibus uti possint vel immediate vel per superiores sacerdotes a se designatos.”